Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1401
Quelle:
Copyright:

si hoc. Sed pace *magistri Petri* dixero, ipsum confudisse cum *Porcheti Victoria Alphonsi Bella Domini* (מלחמות יהוה) quae contra *R. Joseph Kimchi* Librum ejusd. tituli conscripsit, de quibus *Ambr. Morales* in *Nic. Antonii Bibl. Hisp. Vet.* T. II. p. 103. *Esto es libro de las batallas de Dios, que compuso Maestro Alphonso Conuerso, que solia haver nombre Rabbi Abner, quando era Judio.* De hoc *Alphonso* sub rege *Castellae Alphonso* XI. ad Christum traducto vide praeter *Nic. Antonium cit. Wolfii Bibl. Hebr.* T. I. p. 192. Obiit ille a. 1346. *Bella Domini* ipsemet etiam in linguam *Hispanam* traduxit. Fortasse *Magister* ille *Petrus* ea *Latina* fecit, et *Nota* superior ab alio aliquo temere huic Codici adscripta fuit.

CCCLXV.

306 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis. Folior. 24. f. per duas columnas exaratus, manu seculi sequentis inscriptus est: *Talmut et improbationes errorum ibi contentorum; Dan.* vero *Nesselius* ad marginem olim notaverat: *Fr. Theobaldi Ordinis Praedicatorum Disputatio contra Judaeos et reprobatio errorum Thalmud.* Qua nota ad *Jac. Echardum* Ordinis Bibliothecarium *Parisios* missa, cum is inter Sodales suos Concilio *Constantiensi* adsistentes (Vide T. I. p. 757.) *Theobaldum de Saxonia* reperisset, praesentem quoque Tractatum ejusdem nomini T. II. p. 822. quanquam dubius subjecit. Provide sane; msptum enim Biblioth. *Templi Mariani Stargardiae*, cujus notitiam debemus *Chr. Schoetgenio* apud *Wolf. Bibl. Hebr.* T. III. p. 1164. autorem adpellat *fratrem therebaldum superiorem ordinis predicatorum in villa parysiensi, qui quondam fuerat judeus* &c. quamvis etiam nil repugnet virum hunc ortu *Saxonem* fuisse. Quod, si titulum Tractatus expendisset *Echardus*, deprehendisset, se de eo jam T. I. p. 738. egisse, ubi *Pharetram fidei contra Judaeos super Talmuth* recenset, *Anonymo* ibidem adscriptam. Est enim *Pharetra* illa pura puta *Disputatio* nostra, ut ex Collatione cum *Codd.* pluribus in *Indice* collectis novi. Praemittitur in praesenti *Cod.* Triplex illa Cautela, quae in solo *Cod.* DCXV. pariter habetur, hoc initio: *In disputacione Judeorum et contra Judeos nota triplicem cautelam* &c. Mox nominatur autor *frater Theobaldus subprior ordinis predicatorum*, et incipit Opus: *Acuite sagittas implete pharetras* &c. ut *Cod.* CCLXX. et alias; unde Librario cuidam visum fuerit illud *Pharetram* inscribere. Collatum cum Exemplo, quod ex vetusta quadam edit. *s. l.* et *a.* 4. repraesentavit *Wolfius Bibl. Hebr.* P. IV. p. 556. multo prolixius est; cum enim ibi tantum errores *Talmud* exagitentur, adsunt in nostro evictiones etiam veritatis christianae,